

Canicem leges, emendanturque vetustæ
Acceduntque novæ.

35 Unde apud Livium (b) Lucius Valerius de lege oppia abroganda agens: *Quemadmodum (inquit) ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causa in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam, aut usus coarguit, aut status aliquis Reip. nitilem fecit; sic quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales, ut ita dicam, & temporibus psis mutabiles esse video.*

36 Quod & Sextus Cecilius Juris Consultus apud Agellium (c) non inficiatur, & ab antiqua Prosapia, hoc est ipsorum Majorum, ac Jurisprudentium disciplina descendere, graviter Imperator Justinianus (d) testatur. Quem sequutus Martianus (e): *Æquali (inquit) in utroque æquitas est, vel promulgare quæ justa sunt, vel antiquare quæ gravia.* Et Rex noster (f) Alfonsus: *Emendar sus leyes, quando entender, ó le mostraren razon, porque lo debe hacer.* Et Isidorus Pelusiota (g) sic inquit: *Non grave, ac sceleratum est aliquid innovare, cum utilitas novitati adjuncta est. Non enim noxia & utilia vetustate perpenduntur, verum id explorandum est, an in antiquioribus vitium inveniat, an contra in recentioribus virtus reperiat.*

37 Cum quibus sentiens Thomas Morus (h), inter alia, quibus suum Principem instruit, illud est, ut non solum inutiles, vel damnosæ leges emendet: *Sed & abrogatas consuetudines, baud temerè revocet, præsertim quæ diu desite, nunquam desideratæ sunt.*

38 Certè enim, cum secundum eundem Justinianum (i), omnis noster status sub perpetua mutatione consistat, ipsius temporis vicissitudo, cui semper parendum esse, omnium sapientum Apophtegmatæ nos docent, ut supra (k) latè tradidimus, has quoque interdum legum, ut & aliarum rerum mutationes, & innovationes expostulat: *Neque erubescendum est (eodem Justiniano (l) docente) si quid melius etiam eorum, quæ ipsi priores diximus, adinveniamus, hoc sancire, & competentem prioribus imponere correctionem.*

39. Politicæque, juxta doctrinam Canonherii (m) facere debent, quod Medici, qui contraria remedia morbis adhibent, quando priora nihil profecisse cognoscunt. Quod etiam Michael Hospitalius (n), his quæ sequuntur carminibus eleganter expressit.

Quam melius Medici, qui quo nihil ante priora
Profecisse vident, adhibent contraria, leges
Decepti medicas, artemque valere jubentes:
Hoc nos illa modo, nuper quæ cepimus arma
Ponere ne pudeat, hominesque errata fateri,
Et magis apta malis, quæ sunt melicanina nostris.

40 Quibus addo, quòd licet supra ex Tacito docuerimus super omnibus negotiis melius olim ab Antiquis videri provisum, hoc tamen non impedire, quin tempus, quod sapientissimum esse dixit Thales Milesius (o), quia omnia invenit, quodque, ut est in Adagio (p), *Omnia revelat*, aliquid, quot sit utile & laudabile nobis inveniendum, atque exequendum reservet, ut idem ipse Tacitus (q) Claudium Imperatorem in Senatu perorasse commemorat, dum de alienigenis in plenum civitatis Romanæ jus cooptandis, tractaretur: his verbis: *Omnia Patres Conscripti, quæ nunc vetustissima creduntur, nova fuere. Plebei Magistratus post Patricios, Latini post plebejos, ceterarum Italiae gentium post Latinos. Inveterascet hoc quoque, & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.* Et alibi (r), inquit: *Nec omnia apud priores meliora; sed nostra quoque ætas multa laudis, & artium imitanda posteris tradidit.*


40 Quæ verba, ut Lipsius (s) *ibi dem animadvertit*, haud disparibus sanè aliis Synesius (t) Cyrenensis Episcopus sic expressit *Multas rerum utilium tempus invenit, aut correxit. Non omnia ad exempla fiunt, & singula quæ facta sunt, initium semel habuerunt. Demus in nos principium meliori consuetudini.* Et similiter licet brevius Tertullianus (u): *Omnis res anterior posteriori normam præministravit; & alii plures, quos & multa sacræ Scripturæ exempla in eandem sententiam adduxit M. Fr. Antonius Perez (x), meritissimus Abulensis Episcopus.*

EM.

(b) Livius lib. 34. Ego de parricid. lib. 1. cap. 5. pag. 16. & laitur in 2. tom. lib. 2. cap. 30. ex num. 63.
(c) Agel. lib. 20. cap. 1.
(d) Just. in l. 2. C. de vet. jur. enucl. vers. Quia in eo.
(e) Martian. Imp. in Novell. tit. 5.
(f) L. 11. tit. 1. part. 1.
(g) Pelus. lib. 2. epist. 46.
(h) Thom. Mor. in Utopia, lib. 1. pag. mihi 42.
(i) Just. Imp. in Authent. de non alien. §. ut autem lex.
(k) Sup. Emb. 43.
(l) Just. in Aut. de nuntiis, §. nos autem.
(m) Canon. in Aphor. pol. 1. tom. pag. 519.

(n) Hospit. lib. 1. carm. cujus & aliorum in simili me-
mini Ego in 2. tom. lib. 2. cap. 30. num. 63. & seqq.
(o) Thales apud Laert. lib. 1. cap. 1.
(p) Eras. pag. 363. ex Terrul. in Apolog. & alit. Ego
1. tom. lib. 1. cap. 12. num. 11. & seqq. Bobad. dit. lib. 1.
cap. 5. num. 9.
(q) Tacit. lib. 11. Annal.
(r) Idem 3. Annal. cap. 55.
(s) Lips. in notis ad Tacit. pag. mihi.
(t) Synes. epist. 57.
(u) Tert. advers. Marc. 1. cap. 9.
(x) M. Ant. Perez in Penth. de Fide Afr. Apost. pag. 58.

IN PRINCIPES INEPTOS JUDICES ELIGENTES.



Judice pro stulto Pistoje sedit assellus,
Dicere, vel nullus jus, vel uterque potest:
Si pudet, invigilet Princeps, populisque remittat
Rectores, quales convenit esse viris.

COMMENTARIUS.

Im ergo jam satis ex supra dictis eluceat, quantopere Principes, si boni, ut oportet, esse desiderant, bonis quoque Consiliis, Consiliariis, ac Magistratibus egeant, par est, ut eosdem de summa cura, & solitudine, quam in eorum delectu habere debent tantisper admoneamus; ut sic illud Cassiodori (a) verum efficiant: *Pompa mitorum est Regale judicium, quia nescimas ista nisi dignis impendere, ut illud magis æstimemur elegisse, quod cunctos dignum est approbare. Nam quibus fas est de cunctis optimos quærere, videntur semper meritis eligisse.*

2 Qui idem alibi (b), hoc in honorem ipsius Principis cedere, non minori verborum pondere, sic effatur: *Ad ornatum Palatii nostri credimus pertinere, aptas dignitatibus personas eligere: quia de claritate servitium crescit fama minorum. Tales enim provehere Principem decet, ut quoties Procerem suum fuerit dignatus aspiceret, toties se cognoscat recta judicia habuisse.* Et iterum (c): *Necessarium probatur esse Reipub. personas dignitatibus aptas eligere, ut cui justitia committitur, maxima scientia decoretur, & bonis moribus ornetur; alioquin inefficax est ab homine exigere, quod agnoscitur non habere, & confidenter petitur, quod inesse sentitur.*

3 Firmiusque testimonium Regius in eandem rem nobis exhibet Psaltes (d), qui suos se

Qq 2

ocu-

(a) Cassiod. lib. 1. epist. 12. & 43.
(b) Idem lib. 4. epist. 3.

(c) Idem lib. 3. epist. 25.
(d) David Psalm. 100. ubi Lorin. & alii.

oculos ad fideles terræ habere dicebat, ut secum in via immaculata sederent, sibi que ministrarent, quod perinde est ac si diceret, nullam non vigilantiam & diligentiam in bonis Judicibus, & Magistratibus populis præponendis, adhibuisse.

4 Salomon quoque ejus filius, tametsi infusam cœlitus scientiam habere meruerit, nihil prius à Deo postulandum censuit, quam probos doctosque sibi comites, & consiliarios concedi, quorum ope Regnum sibi commissum, rectè gubernare valeret, & hanc sapientiam assistricem suam vocat, & habere desiderat, ut latius noster Joannes Pineda (e) considerat, & juris civilis testimoniis illustrat.

5 Unde Justinianus Imperator, & post eum Politici passim, & juridicæ facultatis Auctores, (f) multi sunt in eadem cura Regibus, ac Principibus commendanda, & in dotibus sapientiæ, prudentiæ, experienciæ, ceterarumque virtutum, quæ communiter in ejusmodi Consiliariis, ac Magistratibus requiruntur, quas novissimè ad epitomem redegit Joannes Maria Campana (g), & ante ipsum plenè & luculenter Rex Noster Alfonsus X. (h) ab eadem vigilantia & diligentia, quam Reges in hac parte habere debent, exordians, & sic inquit: *Acuciosamente, è con gran femencia debe ser catado, que aquellos que fueren escogidos para ser Jueces, ó Adelantados, que sean quales diximos en la segunda Partida de este libro. Pero si tales en todo non los pudieren fallar, que ayen en si à lo menos estas cosas; que sean leales, ó amadores de su Rei, è de buena fama, è sin mala codicia, è que ayen sabiduria para judgar los pleitos derechamente, por su saber, è por uso de luengo tiempo. E que sean mansos, è de buena palabra à los que viniereen ante ellos à juicio, è sobre todo que teman à Dios, &c.*

6 Neque placet, quod quidam dicunt, & frequenter (proh dolor) in praxim deducunt, incognitos eligentes, eorumque sufficientiam in ipsis negotiis detegi, & informari posse sperantes. Hos enim satis redarguit D. Bernardus (i), dum æquè prudenter atque eleganter scripsit: *In Monasteria admitti posse homines spe proficiendi: officia verò bonos facilius recipere, quam facere. Et hac propter ad ea viros probatos oportere deligi, non probandos.*

7 Quod sensit etiam Imperator Justinianus (k), dum præcedens bonitatis testimonium requirit, his verbis: *Quis enim non diligit eum, & honestate compleri magna putet, si nostro decreto, judicioque tui culminis ad cingulum veniet, testimonium quidem habens, quia sit optimus. Nec longè abest Tacitus (l) inquit: Melius est officii, & administrationibus non peccatarum præficere, quam damnare cum peccaverint; & magis in terminis Cassiodorus (m) statim latius referendus, qui in primo propectu cunctationem, requirit: *Dum multi fallunt Principis animum, cui semper votum est præstitisse. Et Ennodius (n) sic inquit: Expertis honos debetur ingeniis: vix mediocrem cultum exigunt non probati. Illa sunt vera præconia, que longus sudor elicit, blandimentum est, non judicium, quotiens laborem gloria ingesta præcesserit, &c.**

8 Maximè cum sint multi, qui vel valde experti & probati: *Acribus initiis, in curioso tamen fine, se in his muneribus habent, ut verbis Taciti (o) utar, quæ benè Joannes Brantius (p) illustrat. Et certum sit, juxta Boëtii (q) sententiam, quoddam, Collata improbis dignitas, non modo non efficit dignos, sed prodit potius, & ostentat indignos. Cujus rei statim elegantem hanc rationem adsignat: Si ipsis dignitatibus, ac potestatibus inesset aliquid naturalis, ac proprii boni, nunquam pessimis provenirent: neque enim sibi solent adversa sociari. Ita cum pessimis plerumque dignitatibus fungi dubium non sit, illud etiam liquet, natura sui bona non esse, que se pessimis habere patientur.*

9 Et alio loco (r): *Non ea vis est Magistratibus, ut utentium mentibus virtutes inserant, vitia depellant. At qui non fugare, sed illustrare potius nequitiam solent, nec possumus ob honores, reverentia dignos judicare, quos ipsis honoribus judicamus indignos.*

10 Quod effecit, ut meritò dicere potuerit Salvianus (s) *Quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? D. Bernardus (t): Non tu de illis es, qui dignitates virtutes putas. Et antea Publius Syrus Mimographus:*

Loco ignominia est, apud indignam dignitas.

Et noster Septimacensis Episcopus (u), à Bobadilla (x) relatus, de Hispaniæ Tribunalibus cond-

(e) Pineda in Salom. lib. 3. cap. 6. & 9.

(f) Justin. Imp. in Authent. ut jud. sine quoque suffrag. s. cor. & s. idoque. Matienz. Junius, Bobad. Mastrill. Borrell. & alii apud Me. 2. tom. lib. 4. cap. 4. num. 2. Zipseus in tract. de Jud. & Magistr. Brantius de Senat. lib. 1. cap. 4.

(g) Campana in tract. de requisit. in jud. creat.

(h) L. 3. tit. 4. pag. 3. & L. 18. & 22. tit. 9. part. 2. ubi Gregor. Lop.

(i) Div. Bernard. de contrid. ad Eug. lib. 4. cap. 5.

(k) Just. dect. Auct. s. cor.

(l) Tacit. in Agric.

(m) Cassiod. lib. 8. epist. 22.

(n) Ennod. di. 5.

(o) Tacit. 4. Ann.

(p) Brant. in Senat. lib. 2. cap. 4.

(q) Boet. lib. 2. cons. pro. 6.

(r) Idem Boet. lib. 3. pro. 4.

(s) Salv. lib. 4. de provident.

(t) Div. Bernard. lib. 2. de consid. ad Eug. cap. 7.

(u) Simanc. de rep. lib. 2. cap. 12. num. 18.

(x) Bobad. in polit. lib. 2. cap. 1. num. 12.

dolere: *Tot Judices, tot Tribunalia ubique à Piissimis nostris Regibus erecta reperiri, & adhuc minorem curam justitiæ, & Republicæ esse.*

11 Et generaliter Petrus Blesensis (y) *Officium officialem esse hodie jura confundere, lites suscitare, transactiones rescindere, dilationes innectere, suppressere veritatem, fovere mendaciam, question sequi, æquitatem vendere, inhiare actionibus, versutias concinere, &c.*

12 Et Æneas Sylvius (z), sic in quadam epistola ad Portugaliæ Doctorem Lupum scribens: *Utinam omnibus Principibus idem animis esset; non sic omnes ignorantia plena forent provinciæ; nec summi Magistratus propter injustitiam Officialium deturbarentur; atque dignitas ab Officiali, non verò Officialis propter dignitatem illustraretur.*

13 Qua propter justè docuisse videtur Abbas Panormitanus (a) communiter ab aliis receptus: *Quod eligentes non solvant conscientiam suam, eligendo illum, cujus plenam non habent notitiam. Meritòque à Persio (b) notantur, qui imperitiis officia Republicæ conferunt, dum ait:*

*Non Prætoris erat stultis dare tenuia rerum
Officia, atque usum rapidæ permittere vitæ:
Sambucan citius caloni aptaveris alto,
Diluis eleborum, certo compescere puncto
Nescius examen: vetat hoc natura medendi.
Navem si poscat sibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta periisse
Frontem de rebus, &c.*

14 Accedit his, quoddammodum ubi ejusmodi dignitates, & officia dignis creduntur, digni quoque, & boni omnes exhilarantur, quia ut Cassiodorus (c) ait: *Quicquid digno creditur, omnibus pro voto collatum esse sentitur. Cui convenit illud Imperatoris Justiniani (d): Nam universis redditur, quod pro voto omnium, primitibus indulgetur. Plinii Junioris (e): Omnium que merentibus tribuuntur, non ad ipsos gaudium magis, quam ad similes redundat. Isocratis (f) Omnes boni & docti, eos, qui præstantibus doctrina honorem habent, non magis laudant, & honorantur, quam si in ipsos omnia collata fuissent. Ita ex adverso, vel Agathia (g) docente: *Animorum vis hebetatur, cum Republicæ dignitates aliis conferri sentiunt, nec honoribus extolluntur, quos laborasse conspiciunt.**

15 Et vel ipsæ eadem dignitates indignis collatæ vilescunt, ac decolorantur, ut à D. Hieronymo traditur, dum ita ad Pammachium (h) scribit: *Quamvis clarus honor, vilescit in turba, & apud viros bonos indignior fit ipsa dignitas, quam multi indigni possident. Ut sic non miremur Catallum (i) ob hanc causam mortem optasse, dum in Nonium Strumam his versibus stylum stringit:*

*Quid est, Catulle, quid moraris emori?
Sella in Curuli Struma Nonius sedet.
Per consulation pejerat Vatinius,
Quid est, Catulle, quid moraris emori?*

16 In eadem etiam querimonia multus est Petrus Costalius (k), dolens Bacchum, non solum in templis, ut apud Indos olim, verum hodie apud Nos in pluribus Tribunalibus positum esse, & præsidem agere, & hoc scitissimo carmine in similes Judices, & eorum Electores insurgens:

*Pampineis Lenæ Pater redimite corollis,
Fascia cui longum cingit odora caput:
Cui phibera intextæ præcingunt tempora vitæ.
Inscit & rubeas uva Falerna genas,
Cuique gravi excidat pendens abdomine venter.
Iureque lætitiæ diceris esse datur:
Quæ te adlegerunt nostris suffragia rostris?
Quæ tibi in orchestra fata dedere locum?
Quæ vota in nostrum te conscripsere Senatam?
Unde tibi latus clavus, & unde roga?
Te jurata latent Sancti consilia Senatus;*

Te

(y) Blesens. epist. 25. vide Me ipsum 2. tom. lib. 3. cap. 8. num. 25.

(z) Æneas Sylv. epist. 10.

(a) Abb. in cap. bonæ, cl. 2. de post. præl. plures apud Mastrill. lib. 2. cap. 1. num. 68. & seqq.

(b) Pers. satyr. 5.

(c) Cassiod. lib. 4. epist. 4.

(d) Justin. in l. restituendæ, C. de advocat. div. judic.

(e) Plin. in Paneg. ad Trajan.

(f) Isocrat. ad Philipp. epist.

(g) Agab. lib. 5. hist.

(h) Div. Hier. in epist. ad Pammach.

(i) Catul. Epig. 53.

(k) Petr. Cost. in Pegm. pag. 102.

Te legum & juris Pagina sacra fugit:
 Quid distent nosti cellis Chiavina Falernis;
 Ergo tibi vitæ sit status ille tuæ.
 An te Patricium Regina pecunia fecit?
 Illa Magistratus una creare potest.
 Nostra quoque ignavis subsellia complect onagris,
 Et queritur Populus jura deesse sibi:
 Ecce igitur stomachans, rubricam tendit Apelles,
 Ne sutor soles egrediare tuas.

17 Joannes quoque Filesacus (l) de hoc argumento eruditè pertractans, ex Aurelio Victore (m) commemorat, Præfetti Prætorio dignitatem Constantini Magni ævo viluisse, propter indignitatem eorum, qui illam gessissent. Et ex Ammiano Marcellino (n), scopas, quibus nobilitatis Curia mundabatur, florere visas, & istud non aliud portendisse, quàm indignos, & sordidos homines extollendos.

18 Sed adhuc magis memorandum fuit aliud portentum, quod Pistorii in Hetruria contigisse, idem ipse Ammianus (o) enarrat, dum in ea urbe Asinus, ipso meridie, Tribunal conscendit, & sellam Magistratui deputari solitam, plenè clunibus occupavit. Quod, augurium fuisse inquit, indignæ promotionis cujusdam pistoris, qui paulò post eandem in urbem, atque provinciam, ad Prætorum electus, & mandatus fuit.

19 Quo ex Portento, utpotè, judicio meo, ad rem de qua tractamus appositissimo, nostrum hoc, quod vides, Emblema formavimus, rati, Principes, quibus Deus hanc supremam creandorum Magistratum potestatem concessit, & à quibus eorum dignitas, auctoritas, & jurisdictionis, tamquam à fonte dimanat, ut passim jura (p) nos docent, vel ex eo admoneri posse, quo studio, qua cura, se in eoru electione habere debeant, & ubi ineptos diligunt, se Asinos deligere plenè, ac planè cognoscant, vel Boves in civitate ponere, ut est in Adagio, quo Erasmus (q) eos significari inquit: Qui præter meritum evebuntur ad summos honores, &c.

20 Nam si Alfonsus Rex ipse Neapolis I. de ipsis Regibus, Panormitano referente (r), dicere veritus non fuit: Regem illiteratum, esse Asinum coronatum, satis apparet, multò magis ad iudicibus, qui prudentia, & juris scientia carent, aptari, neque aliud ad stolidos Magistratus ornamentum proprius, quàm asininas Midæ aurículas pertinere.

21 Asinus quippè, ut ex Ægyptiorum literis Horus Apollo, & Pierius Valerianus (s) testantur, in fabulis, & in hieroglyphicis, pro imperitissima persona ponitur, & in argumentum fatuitatis, atque dementiæ semper habetur, atque idè, homo rerum omnium ignarus, per asselli caput significatur. Græcisque, & Latinis Auctoribus Adagium illud usitatissimum est, Asinus ad byram, in eos, ut Erasmus (t) inquit, jactari solitum, qui propter imperitiam nullo sunt iudicio, crasisque auribus; illius testamentum, ex Marco Varrone, & Agellio, satis notabile citans, qui filios sibi natos, vel nascituros, Si Asini ad Lyram essent, exheredavit.

22 Et planè non facile exprimi possunt damna, quæ Regibus, ac Principibus ipsis, eorumque vassallis, & populis generantur, ubi ignorantes, improbi, aut petulantes Consiliarii, & Magistratus, atque etiam inexperti, & ex Tyrunculis eliguntur, quæ latius apud alios (u) legenda lugendaque relinquo, certè Jamblicus apud Stobæum (x), nullum majus malum Republicæ contingere posse inquit; & Cicero (y), plus nocivos esse, quàm hostes, pluribus probat, eam reddens rationem, quòd omnes omnium facultates positæ sint in potestate iudicantium, nemoque quicquam se obtinere dicere poterit, cum ad iudicandum datur iudex nequam & levis.

23 Et alibi (z), dolens, Quòd ejusmodi in provincias homines mittimus, ut etiam si ab hoste defendant, tamen ipsorum adventus in urbes sociorum, non multum ab hostili expugnatione differant. Ad quem locum quasi respiciens D. Isidorus (a): Gravius (inquit) lacerantur pauperes à pravus iudicibus, quàm à cruentissimis hostibus: nullus enim prædo tam cupidus in alienis, quàm iudex iniquus in suis.

24 Et eandem similitudinem præoccupavit Amos Propheta (b) sic inquit: Quia cognovi multa scelera vestra, & fortia peccata vestra hostes justis, accipientes munus, & pauperes de-

(l) Filesac. lib. 2. selec. tract. 1. cap. 4. pag. 26.
 (m) Aurel. Victor. in Vespas.
 (n) Ammian. lib. 28.
 (o) Idem lib. 27.
 (p) L. si constat, de appellat. cap. 2. de elect. cap. 1. que sint Regalia, cur latè aduclis Me de mun. honorar. n. 131. & seqq.
 (q) Erasmi. in Adag. pag. 182.
 (r) Panorm. de dist. & fact. Alfonsi. lib. 1. cap. 6. sive En. Sylv. in not. ad eum. Pet. Greg. de Repub. lib. 10. c. 6. num. 16.
 (s) Horus & alii apud Pier. lib. 12. hierogly. cap. 1. fol. mibi 18.
 (t) Erasmi. in hoc Adag. pag. 174.
 (u) Bobad. lib. 1. cap. 6. & 7. Pined. in Eccles. pag. 1015. Matienz. in Dialog. relat. 3. part. cap. 7. Cur. Philip. 1. part. cap. 2. Junius quest. politic. cap. 18. & 82.
 (x) Jamb. apud Stob. serm. 44.
 (y) Cic. orat. 4. in Verem.
 (z) Idem pro lege Manil. col. 4.
 (a) Div. Isid. lib. 3. ab summa. bon.
 (b) Amos. 5.

primentes in porta. Et latè prosequitur Joannes Sarisberiensis (c), rectè etiam addens, tales Magistratus gravius, atque insolentius peccare, quàm fures: Quia fur (inquit) vel timens furatur: bitem autem delinquit confidenter. Fur laqueos legis timet, bi quicquid fecerint, legem putant. Lex furem deterret ab illicitis; bi ad illicitum malitiæ suæ compendium, legem trahunt.

25 Quod, quàm sit durum, & acerbum, satis apparet, cum nulla spes ultra salutis restare videatur, quando ab iis venena porriguntur, à quibus erat antidotum sperandum. Vel contra legum (d) & Sancti Concilii Tridentini (e) decreta, injuriæ nascuntur, unde jura jurumque ac legum custodia, & observatio desiderabatur. Quod omnium malorum extremum appellavit Cassiodorus (f) sic inquit: Detestabilis est quidem omnis injuria; & quicquid contra leges admittitur, iuxta execratione damnatur; sed malorum omnium probatur extremum, inde detrimenta suscipere, unde credebantur auxilia provenire. Exagerat enim culpam in contrarium versa crudelitas, & majus reatui pondus est, inopinata deceptio. Et Alfonsus Rex noster (g), & Legislator, majorem mundi pestem, his verbis: T por esto dixeron los Sabios antiguos, que en el mundo no avia mayor pestilencia, que recibir ome daño de aquel en que se fia.

26 Omnes sanè reissimè, cum ubi Magistratus tales, qui suo respondeant muneri, deliguntur, creber Provincialium sermo sit, ut Sidonius Apollinaris (h) scripsit: Annum bonum de magnis non tamfructibus, quàm Potestatibus existimandum, quam sententiam auream appellat, doctus & diligens ejusdem Sidonii Scholiastes Joannes Savaro, dignamque, ut pro foribus Capitoliorum scriberetur, cum Kalendis Januarii Magistratus, Scabini, & Defensores civitatum nominantur. In quibus, ob eandem spectationem, moris erat, ut ipsi anno, ex electis Consulibus, in Consulibus fastis nomen daretur, quasi (ut post Boetium Cassiodorus (i) scribit) Felix à Consule summat annus auspicium, portanque dierum tali nomine dicatus annus, tempus introeat, faveatque relique parti fortuna Principis; ubi fortè, non minùs aptè legi posset, Principii.

27 Queis addo, in eisdem kalendis, ubi Principes nomina eorum, quos ex candidatis in Consules designabant, populo proponebant, ab eodem populo valida voce Bonos, vel Optimos acclamari solitos esse, ut Plinius Junior (k) insinuat, cum de Trajano in ejus Panegyrico dixit: Faciebas ergo, cum diceres Optimos, nec ipsorum modò vita à te, sed iudicium Senatus comprobabatur, ornarique se, non illos magis, quos laudabas, letabatur. Quo loci Justinus Lipsius (l), hunc ritum, ab aliis inobservatum, adnotavit, & ex eo alteri Senecæ (m) lucem intulit, ubi ait: Itaque verbo illo, quasi publico usus es, & sic Amicos dixisti, quomodo omnes Candidatos viros Bonos dicimus.

28 Indequè fluit, ut ad ejusmodi Honores, dum à Regibus conferuntur, non ineptè transferre possimus illud Psalmographi (n), Honor Regis, iudicium diligit: & Solonis Trochaicum: Non erunt honores unquam fortuiti muneris; licet alii alias tradant expositiones. Maximè cum jure (o) cautum legamus, quòd, Disputare de Principali iudicio non oportet. Sacilegit enim instar est dubitare, anis dignus sit, quem elegerit Imperator. Quod D. Joannes Chrysostomus (q) his verbis imitari videtur: Neque egim Rege suffragio suo aliquem eligente, aut honorem alicui apud omnes præconio suo decernente, sustinebit subditorum quisquam contradicere. Et solum eo casu, quo notoriè de electi malitia, vel de sinistra & subreptitia eligentis informatione constat, limitandum esse, auctores (q), qui de hoc tractant articulo, notare.

29 Cum ergo in hac Magistratum electione, simul cum Regni salute ipsorum quoque Regum, ac Principum existimatio periclitetur, & juxta Heliodori (r) sententiam: Magna negotia, magnos apparatus desiderant; par est, ut ipsi per se, quantum maximè fieri possit, vel per prudentes, ac fidos Admistratos, ad has electiones consultantas selectos, magnam etiam diligentiam adhibeant (s), nullumque non lapidem in probis, aptis, literatis, & undequaque dignis, diligendis Magistratibus moveant, quos ante acta vita, literarii gradus, atque progressus, quos splendens Colegiorum Majorum ignis, in sanguine, in moribus, in studiis, ad obrusam examina verit, vel expertum, sub actumque in Regiis Tribunalibus, forensibusque actionibus ingenium iudiciumque commendat. Nam si, ut debent, querantur, qui his officiis, ac ministrariis

(c) Sarisb. in Polier. lib. 6. cap. 1.
 (d) L. mementur, C. unde vi, l. 1. in fin. C. de his qui ven. atar. cap. penult. de pan.
 (e) Trid. sess. 24. de reform. Matr. cap. 9. late Valenz. cons. 161. num. 85. & cons. 163. num. 140.
 (f) Cassiod. lib. 4. epist. 27.
 (g) L. 3. tit. 19. part. 2.
 (h) Sid. Apollin. lib. 3. ep. 6. in fine, & Boet. de consolat. Philosoph. lib. 1.
 (i) Boet. lib. 1. de cons. Cassiod. lib. 2. epist. 1.
 (k) Plin. in Paneg.
 (l) Lips. in notis ad Paneg. Plin.
 (m) Senec. epist. 111.
 (n) Psalm. 98. 3.
 (o) L. 2. C. de Crim. sacrileg. l. 11. tit. 18. part. 1.
 (p) D. Chrysost. hom. 14. ad Roman.
 (q) DD. Chrysost. d. l. 2. Mendos. de pact. lib. 1. cap. 5. Modic. lib. 2. disp. dub. 33. Rodolf. concl. 9. num. 9. cum aliis.
 (r) Heliod. hist. Ætiop. lib.
 (s) Marquez in Gubern. Chr. lib. 1. cap. 4. pag. 2. Brant. in Senat. lib. 1. cap. 28. Ego 2. tom. lib. 4. cap. 4. num. 8. & seqq.
 (t) D. Greg. lib. 1. Regest.

riis digne præesse possint, deese numquam poterunt, ut aliàs, de Episcopis agens, dixit D. Gregorius (u).

3) Ad Lydium quoque lapidem communis inter viros bonos, ac Deum timentes famæ & existimationis, promovendorum merita tangere oportebit, ut Lipsius (x) animadvertit, rectè enim Plinius Junior (y) admonuit: *Tales nos crede, qualis fama cujusquam est: singuli enim decipere, & decipi possunt, nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.* Quod & Tacitus (y) censuit, quodam in loco inquit: *Flaud semper errat fama, aliquando eligit.* Et in alio (z), sub persona Galbæ Imperatoris, *Si velis eligere, consensu monstratur.*

31 Neque sperni debet illud insignis Castellæ Præsidis, & Episcopi Segoviensis D. Didaci Covarruvias examen, qui, ut Bobadilla (a) noster enarrat, ejusmodi honorum Candidatos ad convivium, data opera, vocare consueverat, inibique varios sermones, & quæstiones admiscens, eorum prudentiam, scientiam, ac modestiam perentare.

32 Pariter quoque hac in parte laudari, & imitari debet Ferdinandi I. Neapolitani Regis exemplum, qui, ut Matthæus de Afflictis, & alii (b) recensent: *Habebat libellum nominum, & cognominum virorum bonæ opinionis, secundum diversitatem officiorum, & sic ipse magis dignos eligebat, prævia secreta inquisitione.*

33 Quod si non novus talis Candidatus in ordinem veniat, sed de ejus promotione ad superius Tribunal agatur, qualiter se in moribus gesserit, quodque sui specimen præbuerit, investigare oportebit, cum Evangelica (c) veritate docente: *Qui in modico fidelis repertus fuit, super magna constitui debeat.* Et de suo Trajano dixerit Plinius (d), nihil apud eum magis prodesse Candidatis ad sequentes honores: *Quam pepercit optime Magistratus. Magistratusque Magistratu, honore honorem petendum esse.*

34 Cui consonans Cassiodorus (e), quemdam laudans, qui se hoc modo ad majora paraverat, inquit: *Quid enim de priore senserimus præmio, secundæ dignitatis declaramus augmento. nati sunt tibi fascis ex fascibus, & naturam retinentes fetus arborei: pullulaverunt iterum decenter abscissi.*

35 Unde passim in jure (f) monemur, ut gradatim hæc munera conferantur, & data meritum paritate, minoribus honoribus functi, ad majora conscendant. Neque quemquam celsiorum gradum obtinere, nisi cui laborum assiduitas, & stipendiorum prolixitas suffragatur. Et in hoc omnem cujuslibet bonæ constitutionis Reip. gubernationem, addo & ipsorum munerum majorem æstimationem consistere, sapienter docuit Aristoteles (g), inquit: *Omnis conservande Reip. ratio est, neminem ornare supra modum: sed exiguos potius, & diuturnos honores tribuere, quam celeriter magnos. His enim talibus deteriores fiunt, & ferre secundam fortunam non possunt.*

36 Et elegantissimè Cassiodorus (h), hujus documenti rationem sic præstans: *Dignitas, Patres Conscripti, dum ad incognitum venit, domum est: cum ad expertum compensatio meritum: quorum alter debitor iudicii, alter obnoxius est favori. Hos enim æstimatione subvehimus, alios gratia promovemus, & ad omnes indulgentiæ vias nostra se relaxat humanitas. Et alibi (i): *Securus celsa ascendit, qui se in paulo minoribus approbavit, & certo procedit vestigio, qui gradatim desiderio potitur accepto &c.* Qui & ipse idem, (k), Patrius creatus, de eo vehementer lætatur, *Quod non fragili facilitate fortune, ad apicem fascium repentinis successibus evolavit, sed ut crescere virtutes solent, ad fastigium præconiæ ascendit gradibus dignitatum.* Et iterum (l) Cyprianum laudans, ad Patriatus dignitatem, post plures alias, evehctum: *Si favore (inquit) vestro dignus est, qui vel semel Regale potuit impetrare iudicium, quid P. C. vir magnificus merebitur Cyprianus, qui vobis toties gratior debet effici, quoties a nobis dignitates acceperit. De primo denique procectu potest esse constatio, dum multi fallunt Principis animum, quando facile est illudere, cui semper votum est præstitisse. Hæc est certa gloria, hæc indubitata sententia, frequenter potuisse mereri; per quod homines constat ornari. Hos etiam intrare nostram curiam decet, qui ad primos honores non expendant meritum suum, sed cum magna susceperint, iterum majora promerentur. Ornant quippè talis & nostra iudicia, quoniam bene prius electus creditur, qui sæpius approbatur, &c.**

(u) Lips. lib. 3. polit. cap. 4.

(x) Plin. Jun. in Paneg. ad Trajan.

(y) Tacit. in Agric. num. 4.

(z) Idem lib. 1. hist. num. 5.

(a) Bobad. in pol. lib. 1. cap. 3. num. 18. Campan. de requisit. elect. num. 92. pag. 104.

(b) Afflict. in constit. Neap. lib. 2. rub. 5. fol. 17. n. 3.

(c) Viscotus in concl. jur. verb. Rex, Castell. tom. 7. contror. cap. 41. num. 19.

(d) Lucæ 19. 17.

(e) Plin. in Paneg.

(f) Cassiod. lib. 1. epist. 12.

(g) L. ut gradatim, l. honor, §. gerendorum, D. de muner. & honor. l. fin. C. de Tyron. l. 1. C. ut om. jud. l. 23. tit. 21. part. 2. l. 17. tit. 13. 6. tit. 22. cad. par. cum aliis apud Me in tractat. de muner. don. num. 54. & seqq. text. omnino legendas, in l. ult. vers. Illud, C. de primic. lib. 12.

(h) Aristot. lib. 3. de Rep. cap. 8.

(i) Cassiod. lib. 1. epist. 13.

(j) Idem lib. 8. epist. 13.

(k) Idem lib. 1. epist. 3. & 4.

(l) Idem Cassiod. lib. 8. epist. 22.

37 Et hoc est adeò verum, ut vel apud Livium (m) legamus, ac sola ratione, Plebis Romanæ Tribunos repugnasse, ne Titus Quintius Flaminius veluti per saltum ex questura ad Consulatum transiret, si omnia turbari causantes: *Jam ædilitatem (inquit) præturamque fastidiri, nec per bonorum gradus documentum sui dantes, nobiles homines tendere ad Consulatum, sed transcendendo media, summa imis continuare.*

38 Et Cornelius Tacitus (n), nimiam hanc & prætoram ambitionem, Brutidium, aliqui bene meritum, dum ad suprema non gradibus, sed saltibus elevari gestiebat, præcipitem egisse, his verbis ostendit: *Brutidium, artibus honestis copiosum, & si rectum iter perageret, ad clarissima quæque iturum, festinatio extimulabat, dum æquales, dein superiores, postremo suasmet ipse spes antecire parat, quod multos etiam bonos pessumdedit, qui spreto, quæ tarda, cum securitate, præmatura, vel cum exitio properant.*

39 Sed præstat severissimam Imp. Gratiani, Valentiniani, & Theodosii legem (o) subjicere, quæ hos increpans saltus, sic habet: *Nihil est tam injuriosum in conservandis, & custodiendis gradibus dignitatis, quam usurpationis ambitio. Perit enim omnis prærogativa meritum, si absque respectu, & contemplatione, vel qualitate etiam profectionis emerite custodiendi, honoris locus præsumitur potius quàm tenetur, ut aut potioribus eripiatur id, quod est debitum, aut inferioribus prosit, quod videtur in debitum.*

40 Ac planè, verè Plinius in Panegyrico (p) adserit, utile, ac salutare esse Præsibus provinciarum, hanc debere fiduciam, paratum esse industriæ sanctitatisque suæ maximum præmium, iudicium Principis, suffragium Principis. Additque ante Trajani Imperium, si quis quid benefecisset, Casarem nescisse, aut si scisset, testimonium non reddidisse: *Ita eadem illa (inquit) negligentia, seu malignitas Principum, cum malè consultis impunitatem: rectè facilis nullum præmium polliceretur, nec illos à crimine, & sorde, nec hos deterrebat à laude. At nunc, si bene aliquis provinciarum reserit, huicque ista virtute dignitas offertur patet enim omnibus honoris, & gloriæ campus.*

41 Caveant autem qui his muneribus impertiendis invigilant, ut non nisi rarò, & ex magna causa ob solum Natalium splendorem, ea Nobilibus viris distribuant. Nam etsi non negem, ceteris paribus, imò & aliqua etiam inæqualitate existente, justum esse, ut nobilitati plurimum deferatur, pro qua & ipsa, rerum bene gerendarum præsumptionem extare Aristoteles (q), & plures alii à Bobadilla (r) relati, constanter docuerunt. Hoc tamen, ut ipsi iidem adjiciunt, ita accipi debet, si eadem Nobilitas, cum necessariis aliis partibus, & artibus ad gerendum Magistratum, sit conjuncta, nec omnino virtute destituta reperiantur.

42 Alioqui nemo ambiget: *Misserum esse (ut Juvenalis (s) ait) aliorum incumbere famæ; atque ut Vellejus Paterculus (t) tradit: Optimum quemque novissimum esse; & in cujuscumque animo virtus insit, ei plurimum esse tribuendum.* Quemadmodum, juxta ipsius Aristotelis (u) doctrinam, & exemplum, si tibi cinem, aut organicum querere juberemur, non nobilem, aut divitiem quereremus, cum sola nobilitas, atque opes, nihil omnino juvent ad rectè, & ex arte canendum; sed eum quidem, qui illa arte excelleret, & organorum posset exhibere præstantiam: quem prævit ipsius Magister Plato: *Non idèd (inquit) Magistratum alicui dabimus, quia dives est, aut hujusmodi quicquam possideat, aut robore magnitudinem, vel generis claritatem; sed ei, qui positus legibus parebit maximè, & hac re ceteris sciens, in civitate præstabit.*

43 Hincque de Tiberio, antequam Principatum initio laudabilem, in deterius verteret, apud Tacitum (x) legimus: *Sic in mandandis honoribus nobilitatem majorum, militiæque claritudinem spectasse, ut simul in promovendo, illustres domi artes inspiceret, sicque satis constaret, non alios potiores fuisse; & conducunt verba Apulei (y), quorum supra in alio (z) Emblemate memini.*

44 Eadem quoque attentione, & sedulitate in cavendis nimis ambitiosis, & minùs honestis, ac legitimis mediis ad ejusmodi dignitates aspirantibus, procedere oportebit, qui sursum, deorsum, rursus, prorsus, ut bene Filesacus (a) animadvertit, omnia versant, ut aliquo in pretio, tamquam rerum omnium periti, ac proinde civilibus officiis digni, habeantur; quosque, ut cum M. Varrone subdit: *Tanta invasit cupiditas honorum, ut vel cælum ruere, dummodo Magistratum adipiscantur, exoptent.* Cum tamen imperitissimi, ut plurimum esse soleant, & de illis

Rt

(m) Livius lib. 32.

(n) Tacit. Ann. 3.

(o) L. 6. lib. 1. tit. 1. Cod. Theodor.

(p) Plin. in Panegyrc.

(q) Aristot. 5. polit.

(r) Bobad. lib. 1. cap. 4. per tot. & Campana de requisit. elect. num. 85. & seqq.

(s) Juven. satyr. 8.

(t) Petrarc. apud Lips. lib. 3. politic. cap. 10.

(u) Arist. lib. 3. politic. cap. 15. Ponte de potest. Prorog. tit. de election. off. §. 5. num. 9.

(x) Tacit. 4. Ann. 1.

(y) Apulej. in lib. de Deo Socrat.

(z) Vide sup. Emb. 34. Marq. lib. 1. cap. 5. §. 2. pag. 25. Bobad. lib. 1. cap. 7. & 8.

(a) Filesac. 2. rel. tract. 1. cap. 4. in fin.

illis de quibus Socrates apud Platonem (b) conquerebatur, ad plebejas, & vulgares artes solere semper omnes suam imperitiam fateri, in quibus peccasse non tanti est, ad Rempublicam verò, in qua gerenda periculosissime peccatur, se omnes aptos, ac peritos esse præsumere.

45 Etenim vel ob solam hanc nimiam ambitionem, se ipsis muneribus indignos efficiunt, juxta ejusdem Platonis (c) ex Socrate documentum, qui civiles honores hominibus, Imperii minime cupidis, concedendos esse concludit, & multa imposita, si laborem administrationis detrectent, cogendos, ac compellendos: *Turpeque sibi videri, ut quis ad eam, vel sua sponte accederet, vel non coactus veniret, quamvis re vera non sua causa faceret, sed pro incolumitate civium: quod semper relictus esset suspicandi locus, se dignitatem, non aliorum utilitatem respicere.* Quod Galbam re ipsa exercuisse Tranquillus scribit (d), & in suis Trajanis, & Thudosis Plinius, & Pacatus valde collaudant, & in Alexandro Severo Lampridius (e), inquit: *Invitos, non ambientes in Rempublicam collocandos esse dicebat.*

46 Idemque votum Symmachi (f) urbis Præfecti fuisse videtur, dum in suis epistolis dixit: *Melius urbi nostræ in posterum consulatis, si eligatis invitos, nullosque avidius trabatis, quam nihil desiderantes.* Et Martiani Imperatoris (g), qui ad res privatas, vel publicas sincerissime gubernandas, homines invitos cogendos statuit. Quippe inquit: *Felicissimam fore Rempublicam, si à nolentibus, & actus publicos recusantibus, gubernaretur.*

Et in hoc tendunt plurima Civilia & Canonica jura (h), quæ docent, quod *Honoris augmentum non ambitione, sed labore ad unumquemque convenit devenire, & quod notari ambitus solent, quos probitatis documenta non adjuvant.* Necnon & bonorum Auctorum testimonia, quæ ultrò oblatos Magistratus, hac de causa pluris esse faciendos inquit. Quale est illud Plinii Junioris (i) de Cornuti Tertulli, ad Æmilie viæ curam promotione, lætantis: *Quod sit licet, sicut est ab omni ambitione longè remotus, debet tamen ei jucundus esse honor ultrò datus.* Et Claudiani, (k) Striliconem laudantis, quod sola fuerit virtute ad supremos Magistratus, non solum vocatus, sed coactus:

Ipsa Tibi trabeas ultrò dedit, ipsa Curulem

Obtulit. Hæc ultrò fastos ornare coegit.

Qui idem repetit (l), de Manli Theodori Consulatu sermonem habens, docensque, quod virtutem, ut in summo hoc viro contigit:

In vitam blandè vestigat, & ultrò

Ambit honor.

47 Et generalius Claudius Mamertinus, hoc veluti requisitum in ejusmodi electionibus ad meliorem ipsarum exitum postulat: *Ut otiosis, atque alia curantibus, Provinciæ, Præfecturæ, fascès, sella curulis, atque insignia omnia Magistratum deferantur.* Nam ambitio, ut Sallustius (m) inquit, à nostro Bobadilla (n) laudatus: *Multos mortales falsos fieri subegit, magisque vultum, quam ingenium bonum habere.* Eorumque vitia, ut præclare Tacitus (o) addit, *Quò majori dum præsentant bonitatis imagine obteguntur, eò in infensius flagitium post Magistratum adeptum erumpunt, datumque est non rarè exemplum præcavendi, quomodo flagitiis commaculatos, sic specie bonarum artium falsos.*

48 Quod tamen non ita amarè & strictè accipi volo, ut ob modicam ambitionem per legitimos tramites ductam, usquequaque reprehendi excludivè debere censeam illos, qui suis literis, & virtutibus nixi, & confissi, se cognoscendos eligentibus præbent, & Reipublicæ muneribus offerunt. Sæpè quippè alias, ut prudenter Joann. Brantius (p) animadvertit, summa ingenia in occulto laterent, ut Plautus in captivis dicebat, & juxta illud Senecæ Tragicæ:

Nullis nota Quiritibus

Ætas per tacitum fluere.

49 Neque enim ita nunc benè agitur cum rebus humanis, ut virtutis & scientiæ fores ad præmia pulsantur, unde licitum est, licitè vias tentare, quibus se quisque possit tollere humo, & suæ fortunæ faber esse, à qua virtus derelicta, ac deserta, suum locum, atque dignitatem tueri vix potest. Quis enim neget, ut dicebat Q. Curtius (q): *Eximiam quoque gloriam sæpius fortunæ, quam virtutis esse beneficium.* Et juxta illud Plinii Junioris (r): *Nulli cuiquam tam cla-*

(b) Plat. Alcib. 1. ornat. Bobad. lib. 1. cap. 6. num. 1.

(c) seq. Brant. de Senat. lib. 1. cap. 8.

(d) Plat. lib. 1. § 7. de Rep.

(e) Suet. in Galb. cap. 5.

(f) Lampr. in Alex. Severo.

(g) Symmac. lib. 3. epist. 81. § 10. epist. 30.

(h) Mart. Imper. in novell. tit. 1.

(i) L. contra publicam; C. de re mil. l. sancimus, C. ad leg. Jul. rep. cap. miramur, in fin. dist. 61. cap. sancimus, 17. quest. 7.

(j) Plin. Jun. lib. 5. epist. 15.

(k) Claud. lib. 3. de laud. Sicilic.

(l) Idem in Cons. Manli Theod. in princ.

(m) Sallust. in Catilin.

(n) Bobad. lib. 2. cap. 7. num. 15.

(o) Tacit. 1. ann. ad fin. § 15. n. 9.

(p) Brant. in senect. lib. 1. cap. 11. § 20. Ego 2. tom.

(q) Curt. lib. 3.

(r) Plin. Jun. lib. epist.

rum statim ingenium esse, ut possit emergere, nisi illi materia, occasio fautor etiam commendatorum contingat.

50 Qua de causa Virgilius (s) summi sui ingenii vires agnoscens, turpe non duxit, his modis viam ad illud propalandum sternere; & liberè potuit ac sine jactantiæ vitio, de se in suis Georgicis decantare:

*Tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere hono, victorque virum volitare per ora.
Primus ego in patriam (mecum, modo vita supersit)
Anio rediens, deducan vertice Musas.
Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas.*

51 Illeque ipse Plato (t) qui adè rigidè in ambitiosos se habet, doctis & honestis viris permittit, ultrò se ad Reipubl. gubernationem inferre, tamquam ad rem necessariam, cum neque melioribus, neque similibus eam committi videant, atque experiantur. Et Isaias Propheta (u) eodem fortè caritatis zelo per motus, quaerenti Deo, quem ad populum mitteret? & quis ibit nobis? *Ecce ego, mitte me;* ultrò & incunctanter respondit, non pertimescens de discrimine vitæ, quod sibi ex ea legatione ad eadem imminerebat; quod, ut Hieronymus Regius (x), ultra plures alios, interpretatur, non tam fuit ultrò legationem expetere, sed à Deo sibi oblatam non repugnantly accipere, & in rem adè necessariam, suum ministerium offerre, promptamque, ac paratam obedientiam, purgatis jam antè ferro candenti labiis, manifestare.

52 Atque apud Senecam (y) legimus, sub Caii Cæsaris Imperio, Mirmillonem vixisse, qui cum se fortè ad Reipublicæ munera aptum agnosceret, & nihilominus ad ea rarè vocari, *Quam bella etis perit,* exclamare solebat, quasi dolens, virtuti suæ occasiones, quibus posset entescere, non contingere.

53 Planè, ubi se eò extendit & profert Ambitionis excessus, ut pecunia quis ejusmodi officia tentare audeat, quæ scire debuit sola esse virtute paranda, cum hæc, ut Horatius (z) ait, *Repulsæ nescia sordidæ, incontaminatis honoribus gaudeat;* procul erit ab eorumdem consecutione mandandus. Nam etsi in iis, quæ directè justitiæ administrationem non concernunt, qualia sunt Tabellionatus, Decurionatus, & similia, publicis necessitatibus suadentibus, tum in Hispania nostra tum alibi, receptum jam sit, in nundinationem posse deduci, ex consilio D. Thomæ (a) ad Ducisam Brabantie remisso, de cuius veritate, praxi, & intelligentia plurimi plurima tradiderunt, quos in unum Ego alibi congressi, qua sola allegatione contentus nunc ero. Non tamem desunt, qui vel in his contrarium tueantur, & receptæ praxi damna commemorent (b), ut constat ex peculiari tractatu ab insigni suæ tempestatis Theologo Fr. Francisco à Victoria hac de re anno 1552. typis excusso. Et in reliquis, quibus judicandi munus, justitiæque populis dicendæ, & administrandæ, ex sua natura coheret, concors omnium benè sententium doctrina est, omnem venalitatem turpisque lucri questum, in eorum electione, & distributione exulare debere, re probata Commodi, Zenonis, Anastasii, & aliorum Imperatorum ac Regum, prava in contrarium introductione, qui ex his venditionibus, ut Suidas (c), & alii referunt, in gentem pecuniarum vim corrogasse leguntur.

54 Quàm, licet Bodinus, & alii (d), urgentibus publici ærarii necessitatibus, defendi posse præstant, & Gallia hodieque passim observet, in qua sunt, qui referant (e), Ludovicum XII. ex officiorum venditione triginta milliones librarum percepisse, eamque consuetudinem improbrè ne dicam impudenter à criminatione Modernus quidam (f) excusare tentet ex eo: *Quod satis videatur, professore pretio, dignitates à Principe, molem publicam subeunte, proponi, quàm avaris purpuratorum (hoc est consularium) suffragiis, in prædam concedere, qui ubi hæc publica licitatio non est, obtrudunt Regibus candidatos, quos sibi munere carissimos fecerint, & quod à domino impetrant, deinde clientibus vendunt.*

55 Planum tamen est, vel omnes recti judicii ejusdem Gallie Auctores (g) contrarium sentire.

Rr 2

(s) Virg. 3. Georg.

(t) Plat. de Republ. dial. 1.

(u) Isai. cap. 6. § 8.

(x) Regius in Latrobia sive de appet. Episcop. fol. 15. §

seq.

(y) Senec. de provid. cap. 4.

(z) Horat. 3. car. od. 2.

(a) D. Thom. in opusc. ad Ducis Erab. latiss. Bobad.

Mastrill. Borrel Diana, & alii apud Me 2. tom. lib. 5. cap.

unic. num. 101. & in Polit. lib. 6. cap. 13. pag. 994.

(b) Innumeri ap. Me, ubi sup. Gasp. Ensl de consil. 2.

part. pag. 28. & 29. Bodin. lib. 5. cap. 4. pag. 834. Ammir.

lib. 3. in Tacit. disc. 8. Menoch. cas. 401. latè Ascaff. de

de arar. ord. 188. 777. § 1359.

(c) Suid. relatus à Conio in notis ad Aulibent. at jud. sine

quod suffrag.

(d) Bodin. de Rep. lib. 6. cap. 2. fol. 1010. & alii ap.

Arcaff. sup.

(e) Borer. lib. 2. hist. Dern. cap. 1. apud Arcaff. ord. 1359.

(f) Euphor. sive Barclajus de Iconib. anim. cap. 3. ubi

de Gallia, pag. mihi 304.

(g) Hot. in Franc. Gall. cap. 27. Benedict. verb. Duas

habens, n. 55. Corras. in l. unic. n. 14. de offic. Cons. Petr.

Greg. lib. 25. rym. cap. 11. n. 7. lib. 36. cap. 29. n. 20. &

lib. 9. de Rep. cap. 11. n. 35.

re, damnaque hujus corruptela flebiliter deplorare, ut & nuper Joannes Filesacus (b) latissimè fecit, in tractatu integro, quem in detestationem venalium dignitatum scripsit; & Joannes Savaro in altero de jure annui, quo Regi suo consuluit, parum è re, & dignitate Regni esse, si annua præstatio tolleretur, nisi abrogaretur ipsa honorum emptio, & virtuti restitueretur, quod dudum pecunia, & ambitio ipsi rapuerunt. Exemplum etiam proferens Divi Ludovici Regis, qui id præstitit, ad gubernacula Reipub. adnotus.

56 Et priscis antea seculis Salvianus (i), & ipse Gallus (h), his verbis eandem venalitatem execratur: *Quid est aliud dignitas sublimium, quam proscriptio civitatum? Aut quid aliud quorundam, quos taceo Præfectura, quam præda? Ad hoc honor à paucis emittitur, ut cunctorum vastatione solvatur, &c.*

57 Quinimò & ipse Ludovicus XII. hoc tandem animadvertisse dicitur, ejusmodi mercatores officiorum, quod emissent, aversione, sigillatim vendere solitos, inquit. Et Henricus IV. ipsius etiam Gallie Rex, qui Petro Matthæo (l) & Augusto Thuano (m) testantibus, seriò hanc turpissimam Magistratum nundinationem expendit: *Duplicia tributa à subditis exigi queritans, unum pro Rege, alterum pro officialibus; sed prius per posterius fieri intolerabile, vixque caveri posse, ut Rex, & subditi, simul non spolientur.* Nam præterquam quod experientia docet, huic quæstuarie venalitati turpiter prostitutas jacere dignitates ipsas judiciales, etiam plebeculae despicibiles, nullumque tam vilem cerdonem, vel coquum esse, qui non speret, se, filiumvè suum, etiam Senatorem, vel Præsidentem Parlamenti fieri posse, si pecunias undecumque corrosas annumerare valeat. Quid est, quod miser populus non patitur ab his, qui non virtute parta, sed numulis empti dignitate superbiunt? dum pro uno aureo, quod Principi pendunt, infinitas revendendi carius justitiam subditis occasiones architectantur.

58 Quod præoculis habens Alexander Severus, inter optimos ex Romanis Imperatoribus non immeritò computatus, nunquam Magistratum nundinationem, ut Lampradius (n) memorat, permittere voluit: *Honorem juris (inquit) & gladii nunquam vendi passus est, dicens, necesse est, ut qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores Potestatum, quos si patiar, damnare non possum. Erubesco enim punire illum hominem, qui emit, & vendit.*

59 Quem locum latè, & erudiè illustrans Alexander Cassaneus (o), qui etiam ex Gallis esse conspicitur, alia ei similia congressit, inter quæ illud Salviani Massiliensis Episcopi, sic inquit: *Nulla major pauper colorum est depopulatio, quam Potestas, ad hoc enim emittitur honor à paucis, ut cunctorum vastatione solvatur. Quo quia esse iniquius, quid indignius potest. Reddunt miseri dignitatum pretia, quæ non emunt: commercium nesciunt, solutionem sciunt.*

60 Esseque usitatissimum, ac veluti gentium jure permissum, ut quod quis emit, vendere possit, & solet, ante Alexandrum Severum (p), de eadem licitatione officiorum agens, satis insinuavit Aristoteles (q), inquit: *Qui magistratus emerit, hos quæstibus assuescere probabile est, cum sumptu imperia sint assequuti.* Senecaque (r) dixit his verbis: *Nam Provincias spoliari, & nun marium tribunal, audita utrinque licitatione, alteri addici, non mirum: quando quæ emeris vendere, gentium jus est.* Et Cicero (s) Verren accusans, & sic inquit: *Te autem Prætor, quis Censor, aut legem metuerit, qua non tenetur: quoniam creatus lege non erat, aut animadversionem tuam, cum idem quod abs te emerat, vendidisset.* Unde velut in Adagium versus ille transiit:

Vendere jure potuit, emeret ipse prius.

Quod miror ab Adagiographis prætermissum:

61 Eademque ratio movit Justinianum (t) & alios Imperatores, ut tantopere curaverint, Judices, ceterosque Magistratus, sine quoquo suffragio, ullavè largitione, ad justitiæ Tribunal accedere: *Consideravimus enim, inquit, quod licet quæstus immodicus imminuitur Imperio, attamen nostri subiecti incrementum maximum percipient, si indemnes à iudicibus conserventur; & Imperium, & Fiscus abundabit, utens vassallis locupletibus.* Et post alia (u): *Nulla eos præsumente cum fiducia redarguere, cum illi repente se emisse cingula pronuntiant.*

62 Quas Novellas leges, illa (x) famigerata Theodosii, & Valentiniani Imp. præcessit, quæ Sancimus (inquit) ejusmodi viros ad provincias regendas accedere, qui ad honoris insignia, non ambitione, vel pretio, sed probatæ vitæ, & amplitudinis tuæ solent testimonio promoveri.

Quæ

(b) Files. 1. select. tit. dignitas venalis.
(i) Salvian. lib. 4. de provid.
(h) Ascaff. dict. ordin. 539.
(l) Pet. Matth. in hist. mortis Henr. IV.
(m) Thuan. lib. 132. ad ann. 1604.
(n) Lampr. in Alex. Severo.
(o) Alex. Cassan. in axiom. polit. ad Alex. Sever. cap. 15. pag. 90.
(p) Alex. Sever. cap. 15. pag. 90.

(q) Arist. 2. polit. cap. 9.
(r) Senec. 1. de benef. cap. 9.
(s) Cicero. 4. in Verr.
(t) Justin. Novell. 8. in princip. & Novell. 86. cap. 3.
(u) Idem Justin. in l. 1. in princ. C. de off. Præf. Afric. cum multis aliis op. Me d. tom. 2. lib. 4. cap. 4. n. 14. & seqq.
(x) L. sancimus, C. ad leg. Jul. rep. Canonizata apud Gratian. in cap. sancimus.

Quæ supervenit ad tollendam aliam, quæ temporibus Honorii, & ipsius Theodosii, quasi in summa fisci inopia, honores pretio addici per misserat, ea tamen lege, ut quis propria pecunia eos emeret, non etiam ut liceret in rem eam mutuum accipere (y). Certè enim Honorius, velut invitus, in hanc licentiam concessit, nam eum contrarium semper optasse Claudianus (z) sic, de hoc ipsum laudans, scripsit:

*Trudit avaritiam, cujus sævissima nutritrix
Ambitio, quæ vestibulis, foribusque potentum
Excubat, & pretiis commercia poscit honorum.*

63 Quem etiam eundem ambitum, bella civilia inter Romanos peperisse, & tantæ urbi lethalem fuisse, his versibus luget verius, quam canit, Lucanus (a):

*Hinc rapti pretio fasces, seclorque favoris
Ipse sui populus, lethalisque ambitus urbi,
Annua venali referens certamina Campo.*

64 Supradictis illa quoque accedit ratio, quæ vel ceteris deficientibus satis urgens insigni Magistro Aragonio (b) videtur, nimirum, quod cum Regibus à subditis, ob Magistratum constitutionem, & justitiæ administrationem tributa pendantur, ut præter alios graviter docuit Cassiodorus (c), inquit: *Tributa nobis annua devotione persolvitis; sed nos majore vicissitudine decoras vobis reddimus dignitates: ut vos ab incurvantium prævitæ defendant, qui nostris jussionibus obsecundant, &c.* Eis gratis illam præstare debent, quod haud quaquam efficient, si ab iis, quos huic muneris præficiunt, pecunias exigant, & sic tacitè subditos ipsos eorumdem rapacitati tributarios efficiant. In quo majus sacrilegium, quam in venditione Præbendarum committi, Petrus Blesensis (d) doctis argumentis evincit, post alia sic finiens: *Princeps ipse doceat venerationem juris, donans Tribunalia non vendens, qui mirum si vendant Judices jura, si ipse Rex vendidit judicia.*

65 Potest etiam denique altera ratio subungi, quod cum in hac Officialium, seu Magistratum, de qua agimus, electione, in Regum Personis, ut saltem dignum eligant, in aliis, qui eis ad hoc consulunt, & adsistunt, ut digniorem proponant, sub peccati reatu, probati, quique Auctores requirant, cum cautionibus, & temperamentis, quæ latè & doctè Ludovicus Molina, (e) M. Marquez (f), & alii (g) plena manu à Me alibi laudati, tradiderunt, satis apparet, hoc requisitum ullo modi servari non posse, cum absque prævia aliqua consultatione, quæ, ut idem Marquez (h) bene subjungit, has electiones securiores facere solet, illi eliguntur, & promoventur, qui plus in licitatione præti contulerint, quod satis prævidit, & his verbis scriptum reliquit D. Gregor. (i). *Quid per hoc aliud agitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vitæ discussione, sed ille solummodo dignus, qui pretium discussit, aestimetur.* Et iterum alio (k) in loco: *Ubi non merita, sed pecunie suffragantur, restat, ut nihil sibi prohibas, nihil sibi deferas industria, sed totum auri profanus amor obtineat.*

66 In quibus quidem referendis, paulò latius calamum currere passus sum, quod his iniquissimis ob peccata nostra, & ingruentia bella, temporibus, non desunt aliqui, qui hoc congerendarum pecuniarum medium proponant. Quibus, faxit Deus, ne Reges nostri unquam pias aures accommodent; sed gloriosos Antecessorum suorum vestigiis insistant, apud quos, ut inquit P. Celada (l), antiquissimi, & laudatissimi moris fuit, ut meritis mercetur hæc munera, & ut quos in Magistratus eligunt, integritate muneris redimant honoris impensas. An autem justum, vel expediens videri possit, quod Reges & Principes extraneos à suis Regnis homines, in consilia sua secretoria, tam Belli, quam Togæ recipiant, vel eisdem publica Magistratum, & Administrationis justitiæ munia, naturalibus neglectis, permittant, quæstio est, quæ frequenter solet ab omnibus Juridicis & Politicis Scriptoribus agitari, & quæ, si alius repetenda, & retractanda esset, integrum caput, imò & volumen expostularet. Ceterum quoniam alibi (m), omnes ferè, qui de ea agunt, plenè congesti, & quid in ea sentiam, sufficienter aperui, hac nunc remissione contentus, huic commentationi, quæ jam sua mole laborat, finem impono.

EM-

(y) L. penult. C. si cert. petat.
(z) Claud. in Cons. Honor.
(a) Lucan. 1. Phars.
(b) Aragon 2. 2. q. 63. art. 2. fol. 325.
(c) Cassiod. lib. 6. epist. 24.
(d) Blesensis. relatus à P. Eusebio Noriemb. in Theopolit. 2. p. lib. 3. cap. 3.
(e) Molin. de primog. lib. 2. cap. 5. n. 50.
(f) Marq. in gub. Christ. lib. 1. cap. 11. §. 4.
(g) Mastrill. Anton. Velazq. Zapata, Acuña, & plures

alii ap. Me 2. tom. lib. 3. cap. 7. num. 8. & lib. 3. cap. 15. n. 66. & lib. 4. cap. 12. n. 31.
(h) Marq. sup. lib. 1. cap. 5. §. 4. fol. 128.
(i) D. Greg. epist. 110.
(k) Idem epist. 114. & contra venalitatem officiorum, vide alia loca apud Salazarium in Proverb. 2. tom. col. 950.
(l) Celada in Judith. cap. 3. §. 3. n. 8.
(m) Ego 2. tom. lib. 3. cap. 19. & rursum lib. 4. cap. 4. n. 50. ubi plures allego, & infr. Embl. 55. in fin.